



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

CXIV. Vtrum contractus matrimonij inter fideles sit separabilis à
Sacramento?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

dum similiter dicit, *ut qui vivunt mundo, sint quasi non viventes*. Vtrobique enim additur particula *quasi* ad indicandum, ne in usu mundi, aut nuptiarum finis hominis ultimatè collocetur. Permittit itaque utrobique usum, solumque superaddit modum utendi necessarium ad honestatem. Demum turpitudine, quæ inseparabiliter inest usui nuptiarum ex vehementia libidinis non est turpitudine culpabilis, sed pœnalis, proveniens ex primo peccato, absque nova coniugum eatenus libertate, qui non tenentur vitare circumstantias pœnales, operis de se honesti. Quod absorbeat ratio, & impediatur attentio ad Deum, & rationes æternas, in actuali usu matrimonij, communè fere est aliis quoque occupationibus honestis circumtemporalibus. Nempe quod per breve intervallum impediatur animus ab actuali Dei, & diuinorum consideratione, non est peccatum ex genere suo, sed necessaria humanæ imbecillitatis conditio, cui proinde sufficit, ut semper Deo adhareat habitualiter, per habitum gratiæ, qui solo tollitur peccato lethali.

Ad 3. Gratiæ sacramentalis non datur ad præstandum utcumque officium naturæ, ad quod sufficit utique ipsa natura, sed ad superaddendum debitum finem, ac modum, ad quem non sufficit natura sine gratiæ.

Ad 4. Sacramenta causant, quod significant, naturaliter quidem remotè tantum, & in actu primo, seu aptitudinaliter; supernaturaliter verò, & ex institutione diuina proximè, & in actu secundo. Vtrobique autem modo proportionaliter significant gratiam, formam, & materiam matrimonij, uti superius expensum est. Quare obiectio in eo peccat, quod solam considerat significationem naturalem secundum se, & non etiam supernaturalem provenientem ex institutione diuina, quæ respectu baptizatorum est longè diuersa, quam respectu infidelium.

Ad 5. Professionem religiosam præcedit, ex natura rei vbertas auxiliorum gratiæ, eademque professio continet in se plura media conducentia ad salutem animæ, & applicat ad assiduum virtutum omnium exercitium, ex quibus provenit multiplex augmentum gratiæ ex opere operantis, ideòque necesse non fuit, ut professioni religiøsæ annexeretur augmentum gratiæ ex opere operato; sicut ob rationem contrariam opportunum, ac necessarium fuit, ut eadem annexeretur matrimonio.

QVÆSTIO CXIV.

Vtrum contractus Matrimonij inter fideles sit separabilis à Sacramento?

Videtur esse separabilis. 1. Quia Christus Dominus potuit instituere sacramentum matrimonij, resecta libera fidelium facultate, qua prius potiebantur ad perficiendum validè contractum matrimonij, absque intentione perficiendi sacramentum, & consequenter quia re ipsa perficiant sacramentum. Ex nullo autem scripturæ loco, aut Concilij, aut Patrum vllum apparet iudicium, quod Christus Dominus non sic instituerit de facto; atque præsumptio semper fauet amplitudini libertatis, homini connaturalis. Ergo credendum potius est ita de facto institutum esse sacramentum matrimonij.

2. Omne matrimonium censetur validum, de cuius invaliditate non constat liquido ex aliquo iure, ut dicitur in Extravaganti Ioannis XXII. *Antique*, de voto. Ex nullo autem iure liquido constat esse nullum matrimonium fidelium celebratum absque inten-

tione perficiendi sacramentum, immo cum intentione non perficiendi. Ergo tale fidelium matrimonium est validum. Idem autem caret ratione sacramenti. De cuius nimirum essentia est intentio ministri sacramentaliter, ac supernaturaliter operandi, ut dictum est supra in communi ex Concilio Florentino. Ergo matrimonium fidelium potest esse validum, quin sit sacramentum.

3. Matrimonia clandestina fuere valida ante Concilium Tridentinum, ut dictum est supra ex eodem Concilio. Eiusmodi autem matrimonia saltem pleraque fuere contractus purè civiles, utpote celebrata absque vlla cogitatione, ne dum intentione de aliquo supernaturali, ac sacramentali, sed de solo officio naturæ. Augetur difficultas, quia matrimonia hæreticorum sunt valida, neque de hoc in genere vlla fuit unquam dubitatio in Ecclesia; & tamen hæretici non perficiunt sacramentum. Quod nimirum nunquam intendunt perficere, cum neque credant dari tale sacramentum. Perficiunt igitur validum contractum, quin perficiant sacramentum.

4. Matrimonium celebratum inter fideles absentes per procuratorem est validum, ut liquet ex c. ult. de Procuratoribus in 6. Et tamen, tale matrimonium nequit esse sacramentum, ut docent Caietanus, Canus, & Victorja, convenientibus Soto, Ledesma, & Rebello: tum quia nullum aliud sacramentum conferri potest absenti, nec est vlla ratio excipiendi sacramentum matrimonij: tum quia absolutio sacramentalis nulliter datur absenti præcisè, quia verba formæ diriguntur ex se ad præsentem; diriguntur verò similiter ad præsentem verba matrimonialia, ut patet conferenti verba hæc: *Absolvo te*, cum his: *Accipite in meum, in meam*, tum denique, quia si matrimonium absentium esset sacramentum, non deberent postea coniungi præsentem in facie Ecclesiæ, ut fert solemnitas eiusdem Ecclesiæ ritus.

5. Absolutio, & prolatio verborum, quibus perficitur sacramentum Baptismi, possunt peragi absque intentione perficiendi sacramentum, & consequenter quin perficiatur sacramentum; & nihilominus, tunc etiam retinent veram rationem ablutionis, & prolationis, præstantque effectus sibi connaturales perinde omnino, atque si nulla interuenisset eleuatio, ac institutio supernaturalis. Ergo verba matrimonialia retinent similiter veram rationem contractus naturalis, & præstant omnem effectum naturalem, quem præstarent nulla existente institutione, ac eleuatione supernaturali, tametsi proferantur absque intentione perficiendi sacramentum, & quin perficiatur sacramentum.

Art. 1. Respondetur, qui est membrum Reipublicæ alicuius, & intendit perficere contractum aliquem prætermisso ritu eius, inducto lege supremi Principis, consuetudine recepto, quique est fundamentalis respectu eiusdem Reipublicæ, proculdubio contrahit nulliter. Ritus autem sacramentaliter contrahendi matrimonium, est proprius, & peculiaris Reipublicæ Christianæ, inductus lege Christi Domini supremi Principis, & Conditoris eiusdem Reipublicæ, idemque ritus communis, ac vniuersali Christianorum consuetudine receptus est, & insuper est fundamentalis respectu Reipublicæ Christianæ, cuius videlicet fundamenta præcipua sunt septem sacramenta, instituta à Christo. Cum igitur omnes Christiani sint membra Reipublicæ Christianæ, si qui eorum intendunt contrahere matrimonium prætermisso sacramento, eo ipso contrahunt nulliter utpote nolentes celebrare contractum, qualis institutus est à Christo, quique est proprius Christianorum, sed qualis ante Christum permittebatur, quique post eius institutionem, ac legem solis permittitur infidelibus. Quæ quidem ratio, usque ad eum efficaciter persuaderetur hæc sententia, ut non parum inclinem in sensum Gregorij de Valentia, dicentis,

Non videri aliqua temeritate carere quod possit inter Christi fideles verum, & legitimum esse matrimonium, quod non sit etiam sacramentum.

Art. 2. Accedit Concilium Florentinum, & Tridentinum locis superius indicatis non semel definire, matrimonia fidelium esse sacramenta. Quæ definitio, cum sit vniuersalis, & indefinita, nullius permittit matrimonij fidelium exceptionem à ratione sacramenti. Alioquin enim definire debuissent, vel aliqua matrimonia fidelium esse sacramenta, vel matrimonia fidelium posse esse sacramenta, seu posse celebrati perficiendo simul verum sacramentum, non verò vniuersaliter, & indefinitè, matrimonium fidelium esse verum Christi sacramentum. Sic enim dici non posset absolutè, & sine restrictione hostiam à Sacerdote consecratam esse sacramentum, si fieri posset, ut aliqua hostia verè esset consecrata à Sacerdote, quin daretur verum sacramentum. Nulsum igitur verum inter fideles matrimonium esse potest, quod non sit simul verum sacramentum.

Art. 3. Accedit rursus Gabrielem Vasquez, Rebelum, Basilium Pontium, Martinon, & aliquos alios, qui putant dari posse inter fideles verum, ac validum matrimonium, quod non sit sacramentum, docere nihilominus pro nullo euentu licere Christianis, ut separent rationem contractus matrimonialis à ratione sacramenti, sed quicumque tentauerint id facere, peccaturos esse graniter. Id quod supponit apertè Euaristus Papa in Epist. 1. ad Episcopos Africanos, uti refertur causa 30. q. 5. c. 1. additque ita à Patribus acceptum, & à sanctis Apostolis, atque eorum successoribus traditum fuisse. Ista autem tanta certitudo, & tam antiqua ab ipsis Apostolis deriuata, & sanctorum Patrum consensu semper retenta traditio inhonestatis matrimonij fidelium intenti cum exclusione sacramenti non in alio fondari potest, quam in sola indiuisione contractus fidelium à Sacramento. Certè supposita ista contractus, & sacramenti indiuisione manifestissimè apparet ratio peccati grauis in intentione fidelium volente alterum ab altero seiuungere. Quia videlicet eo ipso vtrumque reddunt nullum indiuisim, Quod non nisi pessima, & sacrilega voluntate fieri potest loquendo per se. Si verò supponatur contractum matrimoniale validum inter fideles, esse absolutè separabilem à ratione sacramenti, non modo nulla apparet ratio satis clara, ob quam necesse sit grauiter peccare fideles, quandoque tentauerint perficere purum contractum, quin imò concluditur licitum, ac laudabile aliquando fore, ut contraherent seclusa ratione sacramenti. Quando videlicet contractus matrimonij non posset differri absque graui inconuenienti, & ex alia parte contrahentes essent in statu peccati lethalis, nec essent ad iustificationem, tunc temporis obtinendam satis dispositi, quod pluribus multiplici de causa facile contingit. Credendum itaque omnino est, intentionem fidelium perficiendi contractum matrimonij, quin perficiant sacramentum, esse inuitabiliter peccaminosam, præter quia est inseparabilis contractus à Sacramento, atque inde fit, ut exhibitis actionibus externis sufficientibus ex se ad contractum validum, absque intentione perficiendi sacramentum eo ipso exhibeantur materia proxima, & forma sufficientes ex se ad sacramentum, quin sacramentum re ipsa perficiatur ob solum defectum debitæ intentionis.

Art. 4. Augetur vis huius rationis. Quia Ecclesia non solum interdicit, sed etiam irritat matrimonium baptizati, cum non baptizata, tamen iam sit catechumena, & certissimè baptizanda quam primum, ut liquet ex c. *Cause* 28. q. 1. & similiter irritatur matrimonium hæretici, cum eadem infideli nondum baptizata. Quia nimirum dedecet, ut homo baptizatus

perficiat matrimonium, quin perficiat sacramentum, quod cum consorte infideli celebrare non potest, ut dictum est supra. Hæc namque sola superest ratio irritationis in duobus casibus modo expressis, ut apparet consideranti. Maior autem longè indecentia est in contractu matrimoniali inter duos baptizatos, quin perficiatur sacramentum. Quia eo ipso duplicatur ratio indecentiæ. Quis igitur credat irritari matrimonium ob indecentiam minorem, & non idem irritari ob indecentiam longè maiorem eiusdem omnino generis? Et quis non credat Concilium Florentinum, & Tridentinum, dum definit vniuersaliter, matrimonia fidelium esse sacramenta, aut supponere nulla esse matrimonia purè ciuilia fidelium ex vi institutionis Christi secundum se, quod mihi esse verissimilius, uti initio indicatum est; aut certè eorundem nullitatem completi ut minimum, tanquam inductam Ecclesiastica auctoritate, & traditione ad Apostolis deriuata? uti colligi potest ex auctoritate Euaristi paulo prius indicata. Dicendum itaque omnino est cum Soto, Valentia, Ledesma, Sanchez, Coninch, Layman, & aliis, contractum matrimoniale inter fideles, esse inseparabilem à Sacramento, nec validum esse posse, quin sit sacramentum, tametsi oppositum sit absolutè probabile propter auctores id negantes, quos refert, & sequitur Martinon.

Ad 1. Ex eo, quod Christus Dominus constituit matrimonium sacramentaliter celebratum inter fundamenta Religionis Christianæ, qualia sunt septem Ecclesiæ sacramenta; sufficienter colligitur, professoribus eiusdem religionis nullum permixtum esse verum contractum matrimoniale, qui non sit sacramentum. Quapropter si Christus Dominus voluisset permittere fidelibus liberam electionem contractus matrimonialis validi, vel sacramentalis, vel non sacramentalis, quod non nego fieri absolutè potuisse, id verò distinctè docere oportuisset. Quia foret permissio ordinationi, ac eleuationi fundamentali matrimonij, minimè connaturalis. Vnde cum talis permissio nulla sit de facto, aut expressio, aut etiam insinuatio, sed magis oppositum, concluditur illam de facto nequaquam dari, atque humanam libertatem, eo ipso, quod sit deuincta professioni Religionis Christianæ esse quoque restrictam ad contractum matrimoniale proprium, ac peculiarem eiusdem Religionis Christianæ, præsertim cum apud Concilia, & Patres, vbique dicatur matrimonia fidelium esse sacramenta, neque vlla vnquam fiat mentio de matrimonio fidelium, quod non sit sacramentum, seu quod sit contractus purè ciuilis, atque de omnibus vniuersim matrimoniis fidelium iudicet Ecclesia absque exceptione, nullaque permissa eatenus potestate Principibus temporalibus; quod fieri iustè non posset: ideoque non fieret ab Ecclesia, si aliqua matrimonia fidelium possent esse valida, quin essent sacramenta. Indisciplinati præterea ingenij est, ut dicit Philosophus, in omnibus euidentiam querere, eaque negare absque vlla ratione positiua, quæ validis rationibus positiuè comprobantur, atque iis maximè congruunt, quæ sunt certissima, ac manifestissima.

Ad 2. Satis constat ex dictis. Apparuit enim sufficienter ex iure diuino, vel saltem ex Ecclesiastico constare de nullitate matrimonij initi inter fideles, absque intentione sufficienti ad rationem sacramenti. Sanè matrimonium, de quo est sermo in illa Extravaganti, supponitur inibi fuisse sacramentum, præcisè quia contractum fuit à fidelibus, eaque præcisè de causa Ioannes Papa iudicat, ac disponit circa idem matrimonium, tanquam circa rem sacram, ac spiritualem. Videatur si placet totus contextus.

Ad 3. Negatur matrimonia clandestina fidelium non habuisse veram rationem sacramenti, dum fuerint veri.

veri, ac validi contractus. Quia absque fundamento, & contra legitimam rationem dicitur de fuisse contrahentibus intentionem sufficientem ad perficiendum sacramentum; quandoquidem fideles, siue publicè, siue clam contrahentes perinde habent intentionem faciendi quod, & quomodo alij fideles communiter faciunt, dum matrimonialiter iunguntur; aut contrahendi, vt Christi fideles decet, vtque permixtum est, vt validè contrahant: ac demum volunt efficaciter, quidquid necesse est eos velle, vt acquirant verum ius mutuum matrimoniale. Quilibet autem ex iis intendendi modis, aliique illis æquipollentes multipliciter possibiles, continent in se virtualiter, & æquivalenter, intentionem formalem perficiendi sacramentum, & sufficiunt ad ipsum reipia perficiendum, iuxta dicta supra in communi, & ex communi, quæst. 15. art. 2. 3. & 4. Dictum similiter est ibidem quæst. 17. artic. 1. & 2. Existentibus in ministro intentionibus inuicem oppositis, atque impossibilibus ex parte obiecti, eam intentionem euadere efficacem, & sortiri reipia effectum sibi conformem, quæ est appetitiuè maior, quàm opposita. Eadem facilitate solui potest, quod supra opponebatur de matrimoniis hæreticorum; quamuis enim fatendum sit, illa esse valida, vt docent communiter Theologi, & Iuristæ, frustra reclamantibus Simanca, Hostiense, & paucis aliis cum Glossographo, in cap. finali, de conditionibus appositis, verbo *contra substantiam*, cum canones, & Conciliorum testimonia quæ accumulunt, contineant tantum prohibitionem contrahendi matrimonia cum hæreticis, vnde tantum concludi potest ea fuisse illicita, non inualida. Quæ validitas firmatur recepta Ecclesiæ consuetudine, quæ etiam nunc viget in Gallia, Polonia, & Germania vniuersa; vbi accedentibus ad Ecclesiâ Catholicam hæreticis, non instauratur de novo eorum matrimonium, & filij eorum censentur legitimi, in vtroque foro Ecclesiastico & Seculari, vt bene notauit Nicolaus Serarius opusculo de matrimonio hæreticorum. Quamuis, inquam, hæc ita sint, & hæretici præsertim Calviniani negent matrimonium esse Sacramentum; cum nulla legem constet ademptum illis esse ius, quod ad omnia Sacramenta consequuti sunt, per Baptismum qui est ianua aliorum Sacramentorum; si cætera ad materiam & formam matrimonij necessaria adhibeant, & non sit aliud impedimentum, conficitur Sacramentum, & hoc ipso quod volunt matrimonium inire, ineunt Christianum. Quod euincitur ratione supra insinuada. Vnde quia in hæreticis non agnoscuntur, ideoque non intenduntur rationem sacramenti, datur nihilominus intentio appetitiuè maior, perficiendi verum, validumque contractum, & consequenter quidquid ad eam validitatem requiritur, re ipsa volunt perficere, & verè perficiunt sacramentum matrimonij; tamen si sacramentum formaliter non intendant, imò explicitè, & formaliter intendant illud non facere. Quia videlicet hæc posterior intentio solet esse appetitiuè minor, talisque semper præsumitur in hæreticis, utpotè magis propensis in statum matrimoniale, quam auersis à sacramento, quando agitur de contrahendo matrimonio. Ita docent Layman, Castro Palao, & alij apud ipsos, & post ipsos. Quod si quando maius sit odium sacramenti, quàm amor matrimonij; qui videtur casus metaphysicus, sicut nullum perficietur sacramentum, ita contractus matrimonij nulliter perficietur, vt patet ex dictis.

Ad 4. Pro certo tenendum est cum communi
R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. II.

sententia, matrimonium fideiium celebratum inter absentes per procuratorem, sicut extra controuersiam est validum in ratione contractus, ita etiam valere in ratione sacramenti, atque esse verum sacramentum, dummodo adsint cætera requisita. Quia non plura requiruntur in baptizatis ad rationem contractus, vna dempta intentione, quæ pro sacramento debet esse peculiaris conditionis, sed cuius in absente non minus esse potest, quàm in personaliter præsentem. Quod fieri idem minimè possit in vilo alio sacramento, nihil probat. Quia sacramentum matrimonij differt quoad plura à reliquis omnibus sacramentis, quatenus simul est contractus. Nec magis urget paritas ex sacramento poenitentia. Quia ad sacramentum matrimonij non requiruntur verba determinata indicatua mutua præsentia, sicut requiruntur ad sacramentum poenitentia; sed sufficiunt, quæcumque signa externa consensûs interni siue opere, siue verbo, eoque siue scripto, siue prolato exhibita. Atque huiusmodi significationes sunt ex sua natura indifferentes ad mutua præsentiam, & absentiam contrahentium. Demum, quod iuncti matrimonio per Procuratorem, postea nihilominus iungantur solemni in facie Ecclesiæ, non ad hoc ordinatur, vt tunc superaddatur ratio sacramenti. Quæ videlicet est interparabilis essentialiter à ratione contractus, ideoque superaddi non posset de nouo, quin iterum perficeretur contractus, quod est impossibile. Ritus igitur ille publicæ coniunctionis observatur præcisè, vt suppleantur solemnitates sacræ, quæ prius omisse fuerant, vtque coniuges mutuo præsentem manifestius declarant Ecclesiæ, se ratum habere, quod per Procuratores eorum nomine, & autoritate actum fuit. Ruinosum porro est fundamentum, quo nititur Caietanus, vt probet abesse rationem Sacramenti, à matrimonio celebrato inter absentes per Procuratorem, existimans nullum Sacramentum confici posse, sine verbis quæ vult requiri pro forma. Hoc enim pugnat cum decisionibus Iuris cap. Cum apud, & cap. Tuæ fraternitati, de sponsalibus & matrimonio. Vbi Innocentius III. decidit mutum posse contrahere matrimonium, & ad illud contrahendum solum consensum sufficere, qui signis declaretur. Vbi Pontificem agere de matrimonio vt Sacramentum, est conueniunt Doctores.

Ad 5. Ablutio, & prolatio verborum requisita ad sacramentum Baptismi hoc inter alia differunt ab exteriori traditione, & acceptione matrimoniali, quod traditio, & acceptatio matrimonialis continent in se contractum alterabilem lege superioris, sic vel aliter statuente circa eius valorem, & nullitatem, atque huiusmodi mutatio facta est directè, vel indirectè per voluntatem Christi supremi Principis instituentis hoc sacramentum, vt dictum est; nihilque tale factum est, aut fieri potuit circa materiam, & formam Baptismi. Vnde nulla est eatenus paritas. Cæterum effectus Physici, & purè naturales vrobique manent eodem modo, siue adsit, siue desit ratio Sacramenti. Atque quoad hoc solum tenet paritas.